VINDICIAE SERMONIS SANCTI ILDEFONSI ARCHIEPISCOPI...

Luigi Andruzzi, Farnese

Digitized by Google

389 4

38/
21

VINDICIÆ

SERMONIS SANCTI ILDEFONSI

ARCHIEPISCOPI TOLETANI

DE

Perpetua Virginitate, ac Parturitione

DEI GENITRICIS

MARIÆ.

Digitized by Google

VINDICIÆ
SERMONIS SANCTI ILDEFONSI
ARCHIEPISCOPI TOLETANI

DE

Perpetua Virginitate, ac Parturitione

DEI GENITRICIS
MARIÆ

A

LUDOVICO ANDRUZZI
COMITE SANCTI ANDREÆ,
ac Theologiæ Doctore

DICATÆ

Emin.mo, ac Reverend.mo Principi
S. R. E. CARDINALI

LUDOVICO
BELLUGÆ.

BIBLIOTECA NAZIONALE 1872

ROMÆ, Typis Antonii de Rubeis. MDCCXLII.
SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Eminent.^mo, ac Reverend.^mo Principi
S. R. E. Cardinali, & Epiſcopo
Carthaginenſi

LUDOVICO
BELLUGÆ

Ludovicus Andruzzi Comes Sancti Andreæ
Perennem Felicitatem.

QUICUMQUE (PRINCEPS EMINENTISSIME, immortale Chriſtianæ Religionis decus, ac dulce meum Præſidium)

 in-

ingrati animi non crimen ſolum, ſed nomen etiam, vel umbram horret: Capiet profectò non mediocrem voluptatem; quòd ego multis, juſtiſſimiſque de cauſis haſce VINDICIAS nuncupare Tibi, conſilium ceperim. Pretium enim peræ me facturum exiſtima-, ſi nihil mihi foret acceus, nil jucundius, quàm ut mum abs temetipſo, deinde à cæteris omnibus gratus erga Te Patronum beneficentiſſimum cognoſcerer.

Attamen deterret me, quominus ad Te accedam, generis amplitudo; gravitas morum, quam tum natura, tum verò Divina gratia incredibilem

lem Tibi tribuit, meum percellit animum, mentiſque aciem ſplendor ſapientiæ perſtringit.

Quid enim de Te clariſſimum, rarumque Seculi noſtri exemplar loquar, aut quid non loquar? Enituit enim in aliis Virtus illa, quæ mores perpoliat, ſed eſt deſiderata, quæ mentem informet. Alios Virtus extulit, ſed depreſſit fortuna: Alios commendavit integritas, ſed aſperior, & durior, quàm veritas, quàm humanitas, & officiorum fines pati poſſint; ut cum ad ultimum animo contendiſſent, ibi tamen nequaquam conſiſterent, ubi deceret.

Te verò Natura, fortuna, diſciplina, divini, humanique Juris abſoluta cognitio, ac ſublimis Theologicarum rerum doctrina finxerunt ad honeſtatem, gravitatem, juſtitiam, temperantiam, magnitudinem animi, pietatem, ad omnes denique virtutes excelſum.

Quanta concordia, quantuſque laudum concentus animo tuo contigit! ut (quod certè de honeſti facie à Platone dictum accepimus) cum cerneris, puros amores ſoleas excitare.

Tuæ autem gravitati, ac dignitati cum integritas, atque innocentia ſingularis hilari-

laritatem, humanitatem, facilitatemve aſperſerint, non iſta quidem ſunt meliora, quippe quæ ſint optima, ſed certè condita jucundius. In Te miſeris commune perfugium eſt, nihil denegas, quod bono dignum ſit, conſilio libero pro ſanctæ Sedis, ac Fidei Catholicæ gloria, & amplificatione præſtantiſſimis monumentis tuis tantopere laboras, ac vigilas, hanc ut ſolam omnium querelam merueris, quòd nihil commodis tuis, nimium indulgeas alienis, ut Bellugæ Domus *Hoſpitium Pauperum* jure optimo nuncupetur.

Hic enimvero mea trium-
pharet

pharet Oratio, ſi quod virtutibus deberetur, liceret potius dicere, quàm quod ſingularis tua modeſtia ferret: quæ quidem profectò benignè hoc excipit monumentum Divo Ildefonſo acceptum, gratum Tibi, gratum inclytæ Hiſpanicæ Monarchiæ.

Ecce jam Tibi Lux Orbis Catholici, majeſtate Imperii, fulgore Religionis, ſcientiarum miraculo auguſta Natio Hiſpanorum, oſtendo vulnera, explico cicatrices, Tuæ gloriæ trophæa devoveo: vicimus Mabillonem, atque Dacherium, qui pulcherrimum monumentum *De perpetua Virginitate, & parturitione*

San-

Sanctæ Mariæ non dubitarunt à veſtro Ildefonſo abripere, ac Paſchaſio Ratberto arrogare.

Nec cauponantes bellum, ſed belligerantes ferro multi ſudoris, ac laboris Ildefonſum recuperavimus: dono ducite, ſpolia æternitati nominis BELLUGÆ appendantur.

IM-

IMPRIMATUR,

Si videbitur R̃mo P. Mag. Sacri Palatii Apoſtolici.

F. M. de Rubeis Archiep. Tarſen. Viceſg.

IMPRIMATUR.

Fr. Aloyſius Nicolaus Ridolfi Ord. Præd. Sac. Pal. Apoſt. Mag.

VINDICIÆ
SERMONIS SANCTI ILDEFONSI
DE
PERPETUA VIRGINITATE, ET PARTURITIONE
S. MARIÆ.

CAPUT I.
ARTICULUS I.

Sermonem de perpetua Virginitate Sanctæ Mariæ, ac de ejus Parturitione antiqui Codices manuſcripti, graviſſimique tum veteres, tum recentiores Auctores Sancto Ildefonſo Archiepiſcopo Toletano vindicant. Diligentiſſimus enim Criticus P. Antonius Poſſevinus Societatis Jeſu teſtatur in eam ſententiam: *Veruntamen Librum (Sancti Ildefonſi) de Virginitato Bea-*

Beatiſſimæ Virginis Mariæ manuſcripti Codicis collatione (*a*)*auxit*, *& emendavit Franciſcus Fevardentius Ordinis Minorum*, *eumque Pariſiis edidit apud Sebaſtianum Nivellium anno* 1576., *ſed & addidit tunc primum Sermones duodecim de Beata Virgine*, & librum alium de perpetua Virginitate Beatæ Virginis, & ejus Parturitione: *quæ quidem omnia in Codice noſtri Burdigalenſis Collegii in Aquitania extant*,

D. Thomas Tamayo de Vargas teſtatur à tribus manuſcriptis Codicibus ſermonem de perpetua Virginitate, ac Parturitione Beatæ Virginis Mariæ Divo Ildefonſo attribui, ut videre eſt penes P. Joannem Bollandum Theologum eruditiſſimum Societatis Jeſu, Tomo 2. in Feſto Sancti Ildefonſi XXIII. Januarii.

Eruditiſſimus quoque P. Petrus de Alva, & Aſtorga ita recenſet manuſcriptos Codices antiquos, qui Sermonem de perpetua Virginitate Sanctæ Mariæ, & ejus Parturitione complectuntur; *Opera Sancti*

(a) *Tomo 2. in Sacro Apparatu de Scriptoribus Eccleſiaſticis.*

Digitized by Google

Sancti Ildefonſi fuerunt impreſſa Pariſiis à R. P. Franciſco Fevardentio Ordinis Minorum anno 1576. *in* 8., *&* *à R. P. Fr. Michaele Carranza Ordinis Carmelitarum Valentiæ anno* 1556. *in* 8., *&* (a) *habentur in Bibliotheca Sanctorum Patrum Colonienſi Tomo* VII. *folio* 448., *& alibi*.

Manuſcripta verò vidi Pariſiis in Monaſterio Sancti Victoris numero 211., *& in Conventu Magno Sancti Dominici ejuſdem Civitatis*, *& in Conventu Sancti Franciſci Toloſano cum Sancto Athanaſio*, *& Auguſtino de Trinitate*; *& cum operibus Sancti Fulgentii in Bibliotheca Regia Pariſienſi n.* 1185.; *& in Monaſterio Bonæ ſpei in Belgio ſub titulo*: Munditia Beatæ Virginis Mariæ; *Pariſiis in Monaſterio Benedictinorum Sancti Germani de Pratis n.* 577 *extant hæc Opera manuſcripta*.

CA-

(a) *In Tomo Radii Solis in Ildefonſo*.

CAPUT II.

ARTICULUS I.

SAtis jam de manuſcriptis Codicibus, ſuperque dictum eſt; nunc vero pretium operæ ſum facturus, ſi graviſſimorum quoque Auctorum teſtimonia in medium protulero, inque bono lumine collocavero: quibus quidem profectò Petrus Comeſtor à Scholaſticis ob excellentiam Magiſter hiſtoriæ Scholaſticæ nuncupatus præluçet anno 1160., à quo Sermonem de perpetua Virginitate Sanctæ Mariæ, & ejus Parturitione Sancto Ildefonſo tribui, in libro de laudibus Beatæ Mariæ Virginis, egregius Criticus Philippus (*a*) Labbeus tradit.

Vincentius Belluacenſis Eccleſiæ Antiſtes, atque inclytæ Dominicanæ Religionis decus, qui decimotertio ſeculo nituit, ita ſcribit: *Ildefonſus* (*b*) *contra eos, qui diſputant de Virginitate ejus* (*Mariæ*) *&* *Parturitione*.

R. P. Franciſcus Martinus Carmelita in

(a) *In lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis*.
(b) *Lib. 7. Hiſtoriali cap. 121.*

in ſacra pagina Magiſter Univerſitatis Pariſienſis, ac decimiquarti ſeculi ornamentum ita ſcribit: *Antecedens patet per auctoritatem Sancti Ildefonſi Archiepiſcopi* (*a*) *Toletani in libro contra eos, qui diſputant de Virginitate, & Parturitione Sanctæ Mariæ*.

Inſignis Theologus Joannes de Segovia Epiſcopus Cæſarinus, qui decimoquinto ſeculo nituit, Sermonem (*b*) de perpetua Virginitate, ac Parturitione Sanctæ Mariæ pro certo fœtu Sancti Ildefonſi habet.

Illuſtris Joannes de Turrecremata Theologus, ac S. R. E. Cardinalis Sermonem de perpetua Virginitate, ac parturitione Sanctæ Mariæ pro certa (*c*) Sancti Ildefonſi Sobole habet, ac decimoquinto ſeculo floruit.

Pater Alphonſus Salmeron celebris trium Summorum Pontificum Pauli III. nempe, Julii III., & Pii IV. in Tridentina

 Ge-

(*a*) *Tractatu V. penes F. Franciſcum bonæ ſpei.*
(*b*) *In Allegatione 6. pag. 272. & aviſamento 3. pag. 429. Bruxellis 1664.*
(*c*) *Tractatu Theologico parte 9 cap. 32. Romæ 1547.*

Generali Synodo Theologus Sermonem de perpetua Virginitate, ac Parturitione Sanctæ Mariæ (*a*) pro certo fætu Sancti Ildefonſi habet. Ambroſius Caterinus Politus nobilis pars Tridentini Concilii dictum Sermonem (*b*) pro certo fætu Sancti Ildefonſi habet.

Venerabilis Robertus Bellarminus Cardinalis ita: *Sanctus Ildefonſus Epiſcopus Toletanus* (*c*) *factus eſt anno Domini* 677. *ſcripſit inſignem tractatum de Virginitate Beatæ Mariæ, & alium de perpetua Virgitate, & Parturitione ejuſdem Sanctiſſimæ Deiparæ.*

Immortalis Parens hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Cardinalis Cæſar Baronius ita: *Julianus non ille Toletanus Epiſcopus, ſed ejuſdem Eccleſiæ Toletanæ Diaconus in præfatione Voluminis* (*d*) *Sancti Ildefonſi de laude Intemeratæ Dei Genitricis Mariæ ipſius Sanctiſſimi Epiſcopi res geſtas contexuit: habes eam, ſimulque ejuſdem Sancti* opu-

(a) *Tomo* XIII. *diſputatione* 52.
(b) *Enarrationes in Geneſim.*
(c) *In libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis.*
(d) *Tomo* VIII. *Annalium ad annum* 657. *n.* 43.

opuſcula cum ſermonibus ejuſdem haud pridem Typis, ex ſcriptis Codicibus primum Pariſiis in lucem prodita ſumma diligentia Viri doctiſſimi Franciſci Fevardentii Theologi Pariſienſis, cui hoc nomine plurimum debeat Hiſpaniarum Eccleſia.

Cum hiſce graviſſimis Auctoribus conſentiunt Philippus Labbeus in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis; Dionyſius Petavius Tomo 4. de Incarnatione lib. 14. Joannes Bollandus Tomo 2. 23. Januarii in Feſto Sancti Ildefonſi. Immenſi demum Operis fuerit omnes Scriptores, qui hoc monumentum Sancto Ildefonſo utpote certo Parenti vindicant, percenſere numerando.

CAPUT III.

ARTICULUS I.

Diluuntur argumenta contraria.

Eruditiſſimus Pater Joannes Mabillon Benedictinæ inclytæ Religionis grande ornamentum conatur Sermonem de perpetua Virginitate, ac Parturitione

Sanctæ Mariæ à S. Ildefonſo abripere, ac Paſchaſio Ratberto Monacho ſuæ Religionis tribuere, ita ſcribendo: *Primus è (a) Catholicis Franciſcus Fevardentius Theologus Pariſienſis edidit opuſculum Ildefonſi contra tres infideles, eidem Auctori ſubdidit Paſchaſii lucubrationem de Partu Virginis ſine præfatione ab his verbis*: Quamvis omnium Eccleſiarum &c. *quod non mala fide ab eo factum conſtat, ſed cum utramque hanc ſcriptionem inveniſſet, nec ullo indicio Paſchaſii lucubrationem diſcernere potuiſſet, eas ejuſdem Auctoris eſſe putavit, nempe Ildefonſi, ſive propter argumenti ſimilitudinem, ſive quòd ambo opera alterum poſt alterum in exemplari manuſcripto, quo uſus eſt, continenter exiſtebant. Id verò contigit Amanuenſis imprudentia, qui (ut fit ſæpiſſimè) Paſchaſii Præfationem omiſerat in Apographo.*

Confutatio.

FAlsò quereris Mabillon de innocentis Amanuenſis imprudentia, deque ingenui,

(a) *Mabillon præfatione ſecunda, in ſeculum* III. *Ordinis S. Benedicti.*

mui, ſagaciſſimi, ac diligentiſſimi Fevardentii ſtupiditate; quòd Præfationem illam præſeferentem nomen Paſchaſii Ratberti, quam Tu in certa quadam Schedula legiſti præfixam ſermoni Pſeudo-Paſchaſii de Perpetua Virginitate, ac Parturitione Sanctæ Mariæ, nequaquam retulerit, utpote quam neque in Codicibus manuſcriptis Operum Sancti Ildeſonſi, neque in Paſchaſii Ratberti Codicibus invenit.

Primum enim Codices manuſcripti veteres, quos in diverſis mundi plagis ſupra memoravimus P. Petrum de Alva, Thomam Tamayo, Antonium Poſſevinum, Martinum Carmelitam, Michaelem Carranzam Carmelitam legiſſe, concordes perhibent, & confirmant Sermonem de Perpetua Virginitate, & Parturitione Beatiſſimæ ſemper Virginis Mariæ Sanctum Ildeſonſum elaboraſſe.

Secundo, Antiqui Scriptores, ante Typum, ut Petrus Comeſtor, Vincentius Bellùacenſis, Joannes de Turrecremata, & Joannes Segovienſis Sermonem hunc Ildeſonſo vindicant.

Tertio illuſtres Critici, nempe Trithe-

mius,Bellarminus,atque Sirmundus,ut breviloquentiæ gratia omittam cæteros, recenſent Paſchaſii monumenta, ſed de hoc ſermone ne verbum quidem faciunt.Immovero etiam ipſemet Sirmundus vitam Paſchaſii Ratberti compoſuit, in qua recenſet Paſchaſii opera, ſed non tradit Paſchaſium ullum Sermonem de partu Virginis, ullum de perpetua Virginitate, & Parturitione Sanctæ Mariæ compoſuiſſe. Certè in Tomo XIV. Bibliothecæ Veterum Patrum (*a*) typis mandata leguntur cuncta Paſchaſii monumenta, in quibus nullus Paſchaſii Ratberti Sermo de Partu Virginis, nullus de perpetua Virginitate, & Parturitione Sanctæ Mariæ, nec demum ſupra memorata à Mabillone Præfatio comparet.

Quarto, Sermo iſte de perpetua Virginitate, & Parturitione Sanctæ Mariæ prout jacet in ſchedula Mabilloniana, quam Lucas Dacherius (*b*) profert in medium, quæque nomen Paſchaſii Ratberti, præfationemque præſefert, eſt apertè ſibi incongruens, atque *Cento* ex frag-

(a) *Editionis Lugdunenſis*.
(b) *Tomo* XII. *Spicilegii*.

fragmentis Sancti Ildefonſi, & ex fragmentis Pſeudoildefonſi hinc, atque illinc accerſitis contextus, quaſique conſutus. Quippe ſermo ille prout in cunctis noſtris manuſcriptis Codicibus antiquis, & editionibus legitur, ac Sancti Ildefonſi nomen præſefert, incipit ſic: *Quamvis omnium Eccleſiarum Virginitas Beatæ, & glorioſæ Genitricis Dei Mariæ ſit decus, honor, & forma virtutis &c.* Et eſt ex omni parte integer, agitque à vertice ad calcem de Perpetua Virginitate, & Parturitione Sanctæ Mariæ, ut in titulo Sermonis Sacer Doctor ſibi ſcribendum proponit, atque ita ſermo ille abſolvitur: *In gloria eſt Patris*.

Immo vero etiam in eodem tanta lucet rerum conſentiens, conſpirans, continuataque Cognatio, ut labent omnia, ſi literam moveris.

Contra verò Sermo de perpetua Virginitate, ac parturitione Sanctæ Mariæ prout extat in Schedula, quam Lucas Dacherius (*a*) Mabillonque ſpectandam præbent,

 quæ-

(a) *Tom.* XII. *Spicilegii.*

quæque præfationem, nomenque Paſchaſii Ratberti fert, incipit eodem prorſus modo, quo ſupramemoratus Ildefonſi Sermo, nempe ſic: *Quamvis omnium Eccleſiarum Virginitas Beatæ, & Glorioſæ Genitricis Dei Mariæ ſit decus, honor, & forma virtutis &c.* iiſdemque verbis, quibus Ildefonſi Sermo, continuatur uſque ad medii Sermonis Ildefonſiani mediam periodum, deinde ejuſdem Ildefonſiani Sermonis alteram medietatem traſiliens, ineptè, atque inconditè deflectit ad Pſeudoildefonſi Sermonem de purificatione Beatæ Mariæ, ac finitur perinde, ut finitur Pſeudoildefonſi Sermo de Purificatione Sanctæ Mariæ, nempe ſic: *Uterus Deo fuerit dedicatus*.

Hæc eſt tandem ſumma Concluſionis: Sermo ille de Perpetua Virginitate, ac Parturitione Sanctæ Mariæ, quem Mabillon, ac Lucas Dacherius Monachi Benedictini Benedictino Paſchaſio Ratberto nituntur aſcribere, prout in ipſorum certa quadam miſella Schedula jacet, eſt quidem profectò palmaris *Cento* medius ex medio Sermone veri Ildefonſi de perpetua Virginitate,

nitate, ac Parturitione Sanctæ Mariæ, alter verò medius ex alio falſi Ildefonſi medio Sermone de purificatione Sanctæ Mariæ manifeſtè conſutus.

Incongruentes autem hujuſmodi conſuturæ, ſectioneſque tam claræ, ac manifeſtæ dedecent Paſchaſiani ingenii magnitudinem, quod Engelmondus Epiſcopus ita canit:

Gratia, quæ labris, vel quæ ſit in ore Venuſtas (a)
Non capit ingenium, fandi nec copia perfert:
Largior indè fluens ſalientis vena ſophiæ,
Eloquiique altos emanans proflua rivos,
Aureolas verbi glebas, virideſque lapillos
Gemmantis ſenſus nitidis profundit Arenis.

Nec non Sirmundus in ejuſdem Paſchaſii vita ſic eundem laudat: *Nec domi ſolum, aut apud ſuos erat in pretio; ſed foris apud omnium Ordinum homines par gratia, & exiſtimatio; tum maximè apud Reges* (b) *& Prin-*

(a) *Iſta carmina extant in Tomo* XIV. *B. V. P. præfixi operibus Paſchaſii editionis Lugduni.*

(b) *In Tomo* XIV. *B. V. P. Paſchaſii vita præfixa operibus.*

& Principes, à quibus propter inſignem doctrinam, & ſanctitatem expetebatur, ſtudioque non vulgari, & honore colebatur: ingenii verò, & doctrinæ monumenta libris ſcriptis, ut dictum eſt, plurima reliquit, in quibus notiſſimus eſt liber de Corpore, & Sanguine Domini, quem, Ludovico Pio regnante, cum temerè à nonnullis de Sanctiſſimo Sacramento jactata quæſtio eſſet, compoſuit: in eoque genuinum Eccleſiæ Catholicæ ſenſum ita primus explicuit, ut viam cæteris aperuerit, qui de eodem argumento multi poſtea ſcripſere.

Quæ cum ita ſint: duabus quidem profectò de cauſis hujuſmodi farinæ inſcriptio, ac præfatio Sermoni huic præfixa, probatur Sancto Paſchaſio Ratberto affictа.

Quippe primum omnium eſt incredibile tam excellentem Doctorem Sanctum Paſchaſium Ratbertum, cujus ceteroquin ſermones omnes tamquam ex omni parte perfectos,& expolitos omnis demiratur Poſteritas, maluiſſe tandem aliquando *centonem* ſermonis hujus de perpetua Virginitate, ac Parturitione Sanctæ Mariæ ex diverſis Ildefonſi, & Pſeudoildefonſi fragmentis

mentis hinc, atque illinc inſulsè, ac frigidè accerſitis contexere, quaſique conſuere.

Secundo, Pſeudopaſchaſius penes Lucam (*a*) Dacherium, in Sermonis hujus medietate illa, quam ex ſermone Pſeudo-ildefonſi de Purificatione Beatæ Virginis Mariæ ad verbum tranſcripſit, pronunciat ad hunc modum: *Quod teſtimonium Beatus Ambroſius exponens in Evangelio ait: non enim virilis coitus vulvæ Virginis ſecreta reſeravit, ſed immaculatum ſemen inviolabili utero Spiritus Sanctus infudit. Quod ſanè ſemen præfatus Doctor non ſic dicit infuſum, ut aliunde ſit, quàm ex carne Virginis, & ſanguine, neque ut Spiritus Sanctus* ſementivum *eſſe credatur, ut Irenæus vult, ſed per hoc verbum, Spiritus Sancti operatio deſignatur.*

Eſt autem nefas credere Sanctum Irenæum Doctorem ſapientiſſimum, præclariſſimumque Theologum, Apoſtolicis temporibus proximum, diſcipulumque Sancti Polycarpi Apoſtolorum diſcipuli eò ignorantiæ,

(*a*) *Tomo* XII. *Spicilegii*.

rantiæ, vel, ut melius dicam, amentiæ devéniſſe, ut ſentiret, ac ſcriberet Spiritum Sanctum in Chriſti Domini Conceptione *ſementivum fuiſſe*: quem errorem ita refellit Divus Hieronymus: *Non (ſicut quidam ſceleratiſſimi opinantur) Spiritum Sanctum dicimus fuiſſe pro ſemine*, (*a*) *ſed potentia, ac virtute Creatoris dicimus eſſe operatum, ideſt, formatum Corpus Chriſti*.

Nec verò cadit in Sanctum Paſchaſium Ratbertum inurere Sancto Irenæo craſſam adeò, palmaremque notam illius erroris, à quo omnia Irenæi monumenta, animus, ſtudium, ac voluntas maximè abhorrent.

Propterea Sermo iſtius modi non Paſchaſii, ſed Pſeudopaſchaſii jure optimo eſt habendus. Titulus enim, nomenque Scriptoris præfixum operi, ſed operi diſſonum, auctorem Operis ementitur; nullum enim eſt monumentum ſuppoſititium, quod non prætendat alicujus auctoris inſcriptionem.

Quid oſtendis Mabillon miſeram inſcri-

(a) *Tomo 2. in expoſitione Catholicæ Fidei ante medium.*

ſcriptionem, præfationemque in Dacheriana indiligenti ſchedula ſermoni de Parturitione Beatæ Virginis Mariæ præfixam, nomenque Paſchaſii Ratberti præſeferentem? nonne eadem ipſa jacet ad medium Paſchaſianum fragmentum Pariſiis in Monaſterio Benedictinorum Sancti Germani de Pratis (a) ſervatum, atque incipiens: *Specioſus enim forma præ filiis hominum*, longè quidem profectò diverſum à Sermone de Parturitione Beatæ Virginis, nomen Paſchaſii ementito?

Paſchaſianum enim hoc fragmentum ſic incipit: *Specioſus enim forma præ filiis hominum*. Medio verò iſti fragmento, eadem ipſa verba, quæ in Dacheriana Schedula ſermoni de Parturitione Beatæ Virginis, ſunt præfixa, ita ſuccedunt: *Venerabili Matronæ Chriſti una cum Sanctis Virginibus Veſonæ Monaſticè degentibus P. R. hoc eſt Paſchaſius Ratbertus Monachorum omnium peripſema: Quæſtionem chariſſimæ de Partu Beatæ Mariæ Virginis mihi nuper allatam vobis perſolvere decrevi*,

(a) *F. Alva in radiis ſolis de Sancto Ildefonſo.*

vi, quoniam vos eam plurimum amare non ambigo, ut ex hoc ſciatis quantum vos diligam, longè diu à puero veſter alumnus multo jam ſenio confectus.

Multum autem Paſchaſianum fragmentum diſcrepat à Dacheriana ſchedula, quæ dictæ præfationi ſubdit Sermonem, de perpetua Virginitate, & Parturitione Sanctæ Mariæ incipientem: *Quamvis omnium Eccleſiarum Virginitas Beatæ, & glorioſæ Genitricis Dei Mariæ ſit decus, honor, & forma virtutis &c.*

Contra verò Paſchaſianum fragmentum de Partu Virginis incipit: *Specioſus enim forma præ filiis hominum &c.* poſt medium affert memoratam præfationem Paſchaſii, & ad eandem annectit ita beneficia Sancto Ildeſonſo à Dei genitrice collata: *Fuit in Toletana Urbe quidam Archiepiſcopus, qui vocabatur Ildefonſus valdè, & bonis operibus adornatus, qui inter cætera bonorum operum ſtudia Sanctam Dei genitricem Mariam multum diligebat, & quantum poterat, omni occurrentia illam honorabat, in cujus laudem volumen inſigne de ejus Sanctiſſima Virginitate*

nitate Stylo eleganti compoſuit, quod ita eidem Sanctæ Dei genitrici Mariæ complacuit, ut illi ipſum librum manutenens appareret, & pro tali opere gratias referret.

Utinam hæc Dacherius, ac Mabillon animadvertiſſent; facile utique iſtam mentem mutaſſent.

At *non omnia* (a) *poſſumus omnes*.

ARTICULUS II.

Solvuntur objectiones D. Lucæ Dacherii Monachi Benedictini.

SCriptor iſte ita objicit: Liber de perpetua Virginitate, & Parturitione Sanctæ Mariæ non eſt Ildefonſi, quia Stylo differt ab illo genuino Sancti Ildefonſi (*b*) per modum Synonimorum perſcripto, qui incipit: *Domina mea, Dominatrix mea*.

Confutatio.

PRimum omnium reſpondeo retorquendo argumentum in Te Luca ſic. Tu

(a) *Virgilius ecloga* 8.
(b) *Tomo p. Spicilegii in præfatione*.

Tu quidem approbas ut germanum Sancti Ildefonſi partum epiſtolam ad Quiricium Epiſcopum, (a) quæ ſic incipit: *Imperas mihi chariſſime Domine, aut loqui, ſi taceo, aut ne taceam loquens, & Dominicæ veſtis, quæ non habet maculam, aut rugam abdita, contectaque devolvens unius objectu luminis, & deſideriis fidelium luceam, & inſipientiam perfidorum extinguam.*

Et tamen hæc Epiſtola Stylo differt à libro Sancti Ildefonſi per modum Synonymorum compoſito, nec Stylo Synonymorum ſcripta eſt, licet ſcribi potuerit, ut patet. Ideo ne iſthæc Epiſtola eſt Ildefonſo eripienda? Apage. Eadem ergo, juſtiſſimaque de cauſa non eſt ab Ildefonſo ſermo de perpetua Virginitate, & Parturitione Sanctæ Mariæ abjudicandus.

Secundo Reſpondeo Sanctum Ildefonſum, ut patet, voluiſſe de induſtria efficaciſſimum librum de Virginitate Sanctæ Mariæ torrente Synonymorum perſcribere, ad hæreticorum furioſam temeritatem

(a) *Tomo p. Spicilegii pag. 312. Pariſiis 1665.*

tem reprimendam, atque labefactandam, quemadmodum (*a*) Cixila teſtatur.

Tertio reſpondeo ſic ratiocinando. Si tu Luca exempli cauſa de induſtria ex Synonymis alterum librum componeres, alterum verò non ex Synonymis, ſed ſtylo ſolito, communique perſcriberes; nunquid ſecundus liber, qui non eſt ex Synonymis coagmentatus, tibi foret eripiendus? Apage. Idem plane de Sancti Ildefonſi præclariſſimis monumentis eſt judicandum.

Rurſus idem Lucas Dacherius ita objicit; *Primum librum, nempe more Synonymorum Compoſitum, eſſe Ildefonſi, poſteriorem verò Paſchaſii Ratberti Abbatis Corbejenſis certiſſimis deprehendimus argumentis. Ildefonſus librum de Virginitate teſtimoniis veteris, ac novi teſtamenti plenum edidit, inquit Zixilantes, qui dicendi modus in priori libro evidenter, non in poſteriori apparet.* (*b*)

C Reſ-

(a) *Apud D. Thomam Tamayo de Vargas in defenſione deſcenſus B. V. M.*
(b) *Tomo p in præfatione.*

Reſponſio.

Primum omnium reſpondeo argumenta hujus farinæ non ſolum non eſſe certa, ſed ne probabilia quidem. Neque enim ſequitur illico recte ſecundum librum, quia non eſt divinæ Scripturæ teſtimoniis plenus, ideo non eſſe S. Ildefonſi, quia primus Sacræ Scripturæ teſtimoniis plenus fuit, ſi auctor ſedet hoc animo.

Tibi enim (mi Luca) opus eſt homine, qui habeat auctoritatem cogendi Sanctum Ildefonſum in ſuis monumentis ſemper ſolius Divinæ Scripturæ teſtimonia uſurpare.

Secundo reſpondeo, Te vel non legiſſe, vel non meminiſſe librum Sancti Ildefonſi contra eos, qui diſputant de perpetua Virginitate, ac parturitione Sanctæ Mariæ. Si enim illum legiſſes, vel meminiſſes; eundem utique ſacrarum ſcripturarum teſtimoniis refertum vidiſſes, quæ quidem hic ſub aſpectum pono in eam ſententiam: *Multiplicans multiplicabo dolores tuos* (*a*) *& conceptus tuos. Spiritus*

(a) *Geneſ. cap.* 3.

tus Sanctus ſuperveniet in Te, & virtus Altiſſimi (a) *obumbrabit Tibi. Ave gratia plena, benedicta Tu. Generationem ejus.* (b). *Generatio Chriſti ſic erat* (c). *Fuimus omnes nos aliquando filii iræ, ſicut, & cæteri* (d). *Tu es,* (e) *qui extraxiſti me de ventre, ſpes mea ab uberibus matris meæ.* Jeremiæ 13., *faciet Dominus novum ſuper terram, & mulier circumdabit Virum.* Lucæ p. *Cum impleti eſſent dies purgationis ejus, quando obtulerunt Jeſum in Jeruſalem, ut ſiſterent eum Domino, ſicut ſcriptum eſt in lege Domini, quia omne maſculinum adaperiens vulvam, ſanctum Domino vocabitur.* Pſalmo 67. *mons pinguis, & coagulatus.* Joannis, *In principio erat Verbum.* Lucæ 2. *Gloria in excelſis Deo.* Iſajæ 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium..* Abacuch, *Domine audivi auditum tuum, & timui, conſideravi opera tua, & expavi.* Galat. 4. *miſit filium ſuum factum*

 ex

(a) *Lucæ p.*
(b) *Iſaja 53.*
(c) *Matthai cap. 1.*
(d) *Cap. 2. Pauli ad Ephesios.*
(e) *Pſalmo 21.*

ex muliere , factum ſub lege . Iſajæ 9. *Puer natus eſt nobis .* Matthæi 28. *cui data eſt omnis poteſtas in Cælo , & in Terra , cui flectitur omne Genu Cæleſtium , terreſtrium , & infernorum .* Joannis p. , *qui ſolvit Jeſum Chriſtum , hic non eſt ejus , ſed hic eſt Antichriſtus .* Hæc extant in dicto libro (*a*).

ARTICULUS III.

Solvuntur objectiones P. Joannis Pozza .

NEgat hic librum contra eos , qui diſputant de perpetua Virginitate Sanctæ Mariæ , ac Parturitione eſſe genuinum opus Sancti Ildefonſi , dicendo , ibidem eſſe hymnum Ambroſii his adjectis verſiculis , qui à Doctoribus fluxere (*b*) multo recentioribus Ildefonſo .

Reſponſio .

Reſpondeo dictum Sermonem tot codices

(a) *Liber contra eos , qui diſputant de perpetua Virginitate S. Mariæ , & parturitione ,*

(b) *Lib. 4. Elucidarii B. V. M.*

dices antiquos, totque graviſſimos Auctores tum veteres, tum recentiores Ildefonſo jure optimo vindicare, melioremque eſſe (ſecundum ratam regulam juris) Poſſidentis conditionem: Hymnum in eodem ſermone lucentem ita ſe ſe habere:

Veni Redemptor Gentium,
Oſtende partum Virginis,
Miretur omne ſæculum
Talis decet partus Deum.

Non ne hymnus majeſtatem, & elegantiam ambroſianam præſefert?

Cum autem Joannes Pozza facile affirmet, nec probet hymnum hunc à Doctoribus fluxiſſe multo recentioribus Ildefonſo; quippe quod neminem prorſus unum in medium nominatim proferat: quod dixit, indictum eſt.

Verùm fac recentiores Ildefonſo Doctores hujuſce hymni verſiculos uſurpaſſe; Si tibi reſpondeam ab illuſtrioribus tum antiquis, tum recentioribus Scriptoribus, qui ſermonem hunc Ildefonſo tribuunt, hymnum quoque ibidem expreſſum Ambroſio vindicari, prælucente etiam auctoritate tot antiquorum Codicum, nec non

Digitized by Google

non recentiores Ildefonſo Doctores verſiculos hujus hymni ab eodem Ambroſio hauſiſſe, & expreſſiſſe; certè Tibi Joannes Pozza chariſſime aqua hæreat neceſſe eſt.

FINIS.

380.4

99940626

BIBLOS
Firenze